



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 309. Illi ausem profecti prædicauerunt vbique. v. 20.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

**Q**uid hinc iam aliud colligemus quam illam Ecclesiam qua his signis caret, semperque carebit non Christi sed alterius antagonista eius congregationem? utique.

§. 307. Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cælum.

Suavis clausula tot laborum, qua formata Ecclesia sua, Dominus introiuit in requiem suam, ut nos quoque trahat in eam; si tamen socij habemus laborum & passionum, quomodo enim sub spinis coronato capie velit membrum vile deliciari? Non est servus maior Domino suo.

**I**Dcirco rogo te fortissime Iesu conforta me ad labores, ad dolores in causa perferendos, ut in gloria tecum sim dignus exultare.

§. 308. Et sedet à dextris Dei. v. 19.

Ibi explicatur gloria Christi pro omnibus quæ egit & dixit Hæc mercies humilationis eius, & obedientiæ & sufferentiæ suæ. Sedere ad Dextram Dei: honorat enim Diuinitas humanitatem hanc tam caram, tam Diuinitati obsequentem, ut ei omne iudicium cedat & transportet non remittendo sed communicando gloriam Deitatis, ut adoretur & operetur ut Dominus vniuersi.

**O**Gaudium, ô præmium omni labore dignum! merces desideranda post labores.

§. 309. Illi autem profecti prædicauerunt ubique. v. 20.

Post Christi ascensum ad cœlos missum spiritum sanctum & præfinitum tempus quo Apostoli & discipuli in Iudea subsistere erant iussi, & fere bini & bini, deserentes patriam, patrem & matrem, sorores & fratres, bona terræ, possessiones, domos & agros, cognatos & amicos, familiaritates & consolationes eorum abierunt in longinquas terras, Asiam, Africam, Europam & Indiam, & partes illis adiectas, & prædicauerunt quæ viserunt & audierunt de Christo Domino, Deo & homine, vero & viro, quandoquidem tanquam filij & discipuli eius vivendi rationem conspicuerant, eius doctrinam conceperant, eius miracula spectarant itinerum ac laborum eius socij fuerant, eius tormenta mortem crucem conspexerant, eius resurrectionis testes fuerant, eius etiam ascensionis in cœlum, spectatores simul & præcones iudicij ad quod iterum esset venturus, & rationem auditurus omnium eorum, quæ facta, dicta, cogitata fuerint ab omnibus nomine sive bonum sive malum.

Pro

**P**ropterea humiliato corde ô Deus meus rex meus & iudex meus,  
contrito spiritu ad maiestatis tuæ solium accedo & ad te, ô clemens Do-  
mine ac Pater, ex toto corde proclamo, miserere mei Deus secundum ma-  
gnam misericordiam tuam. Inclina te Domine ad me, & ego me conuer-  
tam ad te. ostende in me bonitatem tuam, ut tibi in omne ævum gratias  
agam. Auxilium tuum, Domine, mihi præsto sit. & fortitudo tua ne cor-  
toboret ut mala quæ damnant, fugiam, & bona quæ saluant, agam.

§. 310. *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus  
signis, v. 20.*

Istis verbis intelligo duplicem gratiam Dei, qua eius Ecclesia Catho-  
lica, ab Apostolorum tempore propagata, hodie dum floret, & uti vrbs in  
monte exaltatur, ante faciem omnium populorum, ita ut eam gentes om-  
nes agnoscere & ad eam confluere possint. Iste sunt gratia gratum facien-  
te, expressæ verbo Domini cooperantis, & gratis datae, expressæ verbo Domini  
confirmantis per signa antea recensita. Nulla ecclesia habet hanc gratiarū bi-  
gam, sola Romana in illa triumphat Ecclesia & quæ Romanæ communi-  
cant, ceteræ fatuus ignes habent, hos sequuntur, in his ad tempus eis pla-  
cer exultate & errate in inuio & non in via.

**T**U Deus qui pro eis passus es, miserere eorum, & salua populum  
tuum quem pretioso sanguine redemisti, miseranda enim res est tot  
nationes septentrionis ab illis impostoribus, apostatis Monachis & Cleri-  
cis seduci.